

## EPIPHANIUS Latinus (saec. V-VI)

## INTERPRETATIO EVANGELIORUM

PLS III, 836 II. *Exsurgens autem Ioseph a somno, sicut praeceperit ei angelus Domini, accepit coniugem suam et non cognovit eam, donec peperit filium.*<sup>1</sup> 1454 Sic dixisse putatur, quasi post partum eam cognoverit, quia dixit *donec*. Sed quicumque sanae mentis sunt, sic retinere non debent, ut potuisse Ioseph vir iustus, qui et visiones angelorum videbat et, quod faceret, ab angelis discere videbatur, Mariam contingere.

PLS III, 850 XIX. [...] Eva non tantum poma sed peccatum et mortem concupivit, quam dedit viro suo, ut et ipse concupiscentiam mortis manducaret et dominaretur ei omnis iniquitas. Et quantum facilis est mulier ad concupiscendum, tantum facilior est ad peccandum, sicut ait Sapientia: *Inveni virum unum de mille; mulierem autem non inveni.*<sup>2</sup> Et vir quidem non est inventus in praevaricatione, mulier autem inventa est. Quid ergo? Exclusae sunt? Si Mariam sequuntur, salvae sunt. Eva peccando totum mundum replevit. Maria abstinendo se a peccatis caelos replevit. Eva poenas et Gehennam adquisivit et Maria regna caelorum.

PLS III, 900 XXVIII. [...] O sancta virginitas, quae inaestimabile praemium et incomparabilem suscipis laudem! Christum imitata es: Christus te sibi similem facit. Sanetam Mariam virginem secuta es: cum Maria etiam matre Domini inveniris. Virginitas Christum peperit: virginitatem Christus remunerat. O virginitas, cuius laudem exhibit angelorum exercitus, quia mundus indignus est. O sancta virginitas, quae virgo parturis et semper virgo es. Virginitas fidem peperit: fides per baptismum parturit virginitatem.

## FULGENTIUS Mythographus (saec. V-VI)

## DE AETATE MUNDI

PLS III, 1402 XII. Nova saeculi aetas intervenit nostris libellis desiderabiliter exoptanda, cuius adventu radiante lustrati, suavia Christi nascentis crepundia libro currente narrentur necesse est, quippe ex quo et lux refulsi in tenebris, gloria in excelsis, pax in caelis<sup>3</sup> et letitia exorta

<sup>1</sup> Matth. I, 24-25.

<sup>2</sup> Eccl. VII, 29.

<sup>3</sup> Le. XIX, 38.